

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5470

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1253, 23 janvier

Lieu d'émission : Pérouse

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent IV confirme les biens du chapitre: une partie des dîmes de Hauteville-la-Guichard, Quettehou, Saint-Denis-le-Vêtu, Roncey, Saint-Pierre-d'Arthenay, La Bonneville, Saint-Ebremond-de-Bonfossé, Varenguebo, La Chassemelier près de Cambernon, Besneville, Monthuchon, Le Rozel, La Haye-d'Ectot, La Chapelle-Enjurer, Lingreville, Belval, Vaudrimesnil, Heugueville-sur-Sienne, Tessy-sur-Vire, Nicorps, Laulne et Clitourps. De plus, le chapitre peut continuer à célébrer l'office si l'interdit a été jeté sur le diocèse, à condition de le faire portes fermées, sans sonner les cloches et en excluant les excommuniés. Le chapitre doit avoir l'accord de l'évêque pour les sacrements, mais pas pour les enterrements. Enfin, il a le droit de racheter des dîmes possédées par des laïcs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 270, p. 406-408.

Texte établi d'après a

Innocencius, servus servorum Dei, dilectis filiis cantori et canonicis cathedralis ecclesie Constantiensis tam presentibus quam futuris canonicis substituendis, in posterum. Quociens a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur animo nos decet libenti concedere et petencium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam Constanciensem in qua divino estis obsequio mancipati sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio convenimus, statuente ut quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia impresenciarum juste et canonicè possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante domino, poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis locum ipsum in quo prefata ecclesia Constantiensis sita est cum omnibus pertinenciis suis et terciam partem garbarum decime quam habetis in de Alta Villa La Guischart, de Kethou, Sancti Dyonisii le Vestu, de Ronceio, de Artenaio, de Bonavilla et Sancti Ebremondi de Bono Fossato ecclesiis, decimas de Varenguebo et [...], de La Chassemelier apud Cambernonem ab omnibus plenius exempta, duas partes garbarum decime quas [...] villa de [...] Bernienvilla ecclesiis, grangiam, manerium, [...] partes decime garbarum in parrochia ecclesie de Monte Huchon annuos [...], quos habetis, videlicet centum solidos tur. in ecclesia de Alta Villa La Guischart et totidem ejusdem monete in ecclesia de Naeio, quintam partem decime garbarum in ecclesia de Rosel, medietatem garbarum decime quam habetis in de Esquetot et Capelle Enjurerii ecclesiis,

decimam quam habetis apud villam que dicitur Lingrevilla, de Bellavalle, de Waudruimesnillo, de Heuguevilla, de Tesseio, de Nicorp, de Alno et de Clitorp ecclesias, cum pertinenciis earumdem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis, excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicti ordinationes quorum clericorum qui ad ordines fuerint promovendi ; a vestro suscipietis episcopo si quidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte romane Sedis habuerit et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decrevimus ut earum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint aut etiam publice usurarii, null[u]s obsistat salvatum justicia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumunt. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes que a laicis detinentur redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Preterea omnes facultates, libertates et immunitates a predecessoribus nostris romanis pontificibus ecclesie vestre concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino homini liceat pefatam ecclesiam tenere, pertubare [vel] possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis apostolice auctoritate et vestri episcopi canonica justicia. Si qua quidem in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita nisi ratum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Redemptoris Jhesu Christi aliena fiat atque in extrema examine districte subjaceat ulcioni. Cunctis autem eidem loco suo jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(Rota) Ego Innocencius catholice ecclesie episcopus subscripsi.

(Crux) Ego Raginaldus Ostiensis [...] Velletrensis episcopus subscripsi.

(Crux) Ego Jacobus Portiensis et Sancte Rafione episcopus subscripsi.

(Crux) Ego Stephanus Prenestinus episcopus subscripsi.

(Crux) Ego Stephanus Sancte Marie Transtiberim tituli Calixti presbyter cardinalis subscripsi.

(Crux) Ego frater Johannes tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

(Crux) Ego Octavianus Sancte Marie in via Licta diaconus cardinalis subscripsi.

(Crux) Ego Johannes Sancti Nicholai in carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

(Crux) Ego Willelmus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

(Crux) Ego Ottobonus Sancti Andriani diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Perusii, per manum Guillelmi magistri scholarum Parmensium sancte romane ecclesie vice cancellarii, decimo kalendas februarii, indictione XI, Incarnationis dominice M° CC° L° secundo, pontificatus vero domini Innocencii pape IIII anno decimo.